



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio L. De Criminaliter accusato, recusante juramentum calumniæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

adeoque etiam extra casum periculi, ne moriantur testes, vel rei gesta obliviscantur. Probatur partim ex communi sensu DD. cum Farinac. q. 76. cit. n. 123, Gallio l. 1. observ. 92. n. 15. Viviano in c. fin. cit. §. sunt & alii, Nicol. Rodriq. in rubric. hujus tit. q. 1. n. 5. adeoque quoad hoc partes Rei sunt favorabiles, quam Actoris: partim ex eo, quod defensio in Jure sit valde favorabilis, & praestet nocentem absolvi, quam innocentem condemnari. l. 5. ff. de poenis.

Obmota parum vel nihil obsunt huic veritati. Primum procedit quidem generaliter, at, sicut omnis regula patitur suas exceptiones, ideo de Reo non procedit, quando testium

productio servit ad futuram defensionem: imò limitatur etiam in Actore si periculum sit, ne ex dilata litis testatione, & non receptis testimoniis ei pereat copia probandi. Secundum eandem recipit responsonem; quod praestet Reum defendi, vel cogere veritatis ostendendae non perire, quod ordinem Judicarium observari rigide. Tertium & Quartum habent quidem locum in Actore testes ante litis testationem producere volente, propter c. fin. h. t. §. l. 37. ff. de Mun. dicitur, quod accusatori non sit adhibendus favor in executionibus poenarum: non verò in Reo, praestet in Criminalibus, ubi de admodum gravi illius praesudicio agitur.



## TITULUS VII.

### De Juramento Calumniae.

#### DECISIO L.

De criminaliter accusato super crimine peculationis & aliis, recusante juramentum calumniae.

#### SPECIES FACTI.

**C**orvinus plebeio de stemmate, solerti tamen & callidò dotatus ingenio, tanta dexteritate, qua pollebat in sermone & opere, devincire sibi novit Magnatum quempiam in

sublimi fastigio positum, & ex aliis dotibus conspicuum, ut per ipsum ferè solum non modò momenti negotia conficerentur, etiam pleraque officia & gratia



sentiantur. Quæ res sicut Corvino argentes ex honorariis & muneribus opes attulit, ita omnium ferè invidiam ac odium conflavit. Unde innu-meris maledictorum, obtrektionum, convitiatorum telis velut meta expositus, tandem etiam in custodiam, vel pœnis carcerem datus, severoque exanimi subjectus est. & postquam ab omnibus variorum criminum, maxime peculatus, quasi publico bene destinatas pecunias in suos lo-

culos derivasset, infimulatus est, ipsèque ad objecta respondit, & sic litem contestatus est, petierunt accusatores, ut præstaret Juramentum calumniæ, quo sub divina obtestatione promitteret, quòd sine dolo, & syncerè versari in lite velit, nihilque negare, quod verum esse putat, credatque se justam fovere causam. At Corvinus præstare hoc juramentum reculavit. Unde discutienda venit

### Q U Æ S T I O.

*An Reus in causa Criminali Capitali compelli possit ad jurandum de calumnia?*

Affirmativæ patrocinantur Joan. Bulgar. Azo, Speculator, Jo. Faber, & alii congesti à Barbofa in c. r. h. t. in 6. Innituntur variis utriusque Juris textibus, imprimis c. r. h. t. ubi habentur hæc verba, *sive Criminali sive Civili*: dein l. 1. § 2. C. de jurjur. propt. calum. ubi generaliter in omnibus causis præstandum esse juramentum calumniæ asseritur. Concordat l. fin. C. de fid. Instr. § Nov. 124. c. r. item Constitutio Friderici de Pace tenenda § incendiariis.

Negativam tamen (seclusâ observantiâ contrariâ) eligo cum Baldo in d. l. r. n. 8. Sichardo *ibid.* n. 6. Cuiac. in c. r. § Nov. 124. cit. Wesenbec. ad h. l. Cod. n. 8. Jul. Clar. & Farinac. aliasque, saltem quoad Reum (accusato-rem enim, postquam inscriptio ad pecnam talionis, quæ potuit servire pro juramento calumniæ, exolevit, ab eo

præstando nolim exemptum, si petatur) Julius Clarus *lib. 5. Pract. Crim. §. fin. q. 45. n. 9.* dicit, nunquam sibi placuisse Practicam, qua in criminalibus Reo defertur juramentum de veritate dicenda; addit tamen, ab observantia, sicubi sit, non esse recedendum. Ratio fundamentalis petitur indè, quòd secundum Jura, tam Naturale quam Positivum, suspectis de perjurio faciendo non sit deferendum juramentum: atqui apud Reum, qui capitali de crimine accusatur, licet nocentissimus sit, potest esse meritò gravis suspicio & periculum, ne ad vitam conservandam faciat perjurium: ergo.

Jura in oppositum adducta non urgent. *In c. r. b. t. X.* Pontifex non tantum agit de juramento calumniæ, verum de quolibet juramento non præstando à Clericis & Ecclesiasticis personis



sonis per se ipsas in Judicio sine Superioris licentia. ubi autem *c. 1. eod. is 6.* exigitur juramentum calumniæ, additur *in spiritualibus*, quæ non sunt causæ criminales. Textus *in l. 1. § 2. C. b. r.* habent & retinent suam generalitatem, si dicatur, in omnibus causis Civilibus (non item Criminalibus) juramentum calumniæ locum habere. In *l. fin. C. de fid. Instrum.* itidem est sermo de causa civili, quæ respicit instrumenti exhibitionem, non de criminali. In *d. Nov. 124.* non agitur de juramento calumniæ, sed de juramento, quòd litigantes nihil dederint vel promiserint Judicibus, item de puniendo Judice, qui aliquid à Reo accepisse convictus est: vel de puniendo ipso Reo, qui falsò sordium insimula-

vit Judicem in causa civili vel criminali. Fridericus Imperator tantum quitur de duplici causa criminali specie, nimirum de *Pace tenenda*, de *Incendiariis*, ut constat ex *lib. feud.* non generaliter de omni causa criminali: dein non de juramento calumniæ, sed de juramento purgatorio ibi est sermo. Demum adverto, omnia Adversæ Partis argumenta adhuc duplici modo responderi. I. in causis criminalibus civiliter intentari posse habere locum juramentum calumniæ, ut distinguit Vultreus *de p. d. l. 3. n. 87.* non in criminalibus intentatis. II. Exigi posse juramentum Calumniæ in causis criminalibus criminaliter intentatis quoad Accusatores non quoad Reum,

## TITULUS VIII.

### De Dilationibus.

#### DECISIO LI.

De Judice nimis longas dilationes probatorias  
Actori concedente.

#### SPECIES FACTI.

**D**uo Nobiles Landsassii in vicinia possident Castra Gentilitia, unus eorum, nomine Eberhardus, à multo tempore exercuit venationem in Sylva alterius, cui nomen Osvaldus, quie-

ta semper possessione usque ad annum 1723. quo tempore Osvaldus nescio quo incentore, vel quibus argumentis persuasus, litem movit Eberhardo, & Judicium Petitorium ad vi-